









1730.

11<sup>a</sup> Gunttingius, Nicolaus Hieronymus: Singulare et legem  
majestatis itenque de silentio in hoc criminis. 8 Paag.  
~~1730~~ 1737.

11<sup>b</sup> Gunttingius, Nicolaus Hieronymus: Singulare et legem  
majestatis itenque de silentio in hoc criminis. 1737.

12<sup>a,b,c</sup> Gunttingius, Nicolaus Hieronymus: Nelle contestate  
communi plenariae in communi causa nunquam. 3 Paag 1720  
1732

13. Gunttingius, Nicolaus Hieronymus: De causa et origine  
uniones seu factoris electoratis

14<sup>a,b,c,d</sup> Heineccius, Dr. Gott.: De levis nobis macula 4 Paag.  
1720, 1735, 1739 & 1768.

15<sup>a,b</sup> Lutewig, Iacobus Petrus: De sociis shiparariis loci.

16. Lutewig, Iacobus Petrus: Pars II differentiarum juris  
Romani et Germanici i<sup>e</sup> S. P. Kellijanus occasione expubl. ex  
Fons scriptorum statutorum


17<sup>a</sup> <sup>et</sup> Lutetia, Iames Petrus: Differencias iuris Romani  
et Germanici i<sup>e</sup> St. Gallino exule . . . respondit.

2 Saecul.

18<sup>a</sup> <sup>et</sup> Lutetia, Iames Petrus: Differencias iuris Romani  
et Germanici i<sup>e</sup> fidejussione uxoris . . . respondit.

2 Saecul.





DISSE<sup>1720</sup>  
TATIO INAUGURALIS MEDICA:

DE

**CAUSIS INFRE-  
VENTIÆ PHTHI-  
SEOS IN SEXU SEQVIORE  
PRÆ VIRILI.**

QVAM FAVENTE DIVINO NUMINE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
PRÆSIDE

DOMINO

**GEORGIO DANIEL COSCHWITZ,**  
MED. DOCT. EJUSDEMQUE IN ALMA FRIDERICIA-  
NA PROFESS. PUBL. ORDIN. ET POTENTISS. REGIS BORUSS.  
IN COMITATU MANSFELD. ET APUD PALATINOS HALEN-  
SES PHYSICO.

PATRONO AC PROMOTORE SUMMOPERE  
COLENDO

**PRO GRADU DOCTORIS,**

Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis Mo-  
re Majorum solenni obtinendis,

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.

Anno M.D.C.C.XX. D. Sept.

Publico Eruditorum Examini subjicit.

**CHRISTIANUS ERDTMANNUS MATTHÆUS,**  
LIGNIC-SILESIUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

1720

Volumen 3

DISTRIBUTATIO INAGURATIS MEDICIS  
GARSIIS INFERI  
GVENTIIS PATHI  
SUS IN SEU SUPERIORE  
PRO AVITI  
QUA TAVITATE DIVINE NUMINIS  
COTUS E BESUETATIS MAGIS CONSERVAT  
TRASPIRE  
DOMINO  
GEORGIO DANTONIO COMMISSARIO  
PRO GRADU DOCTORI  
CHRISTIANUS ERDMANNUS MATTHIAS  
RICARDUS SIBERIS  
HANNA MAGDEBURGENSIS  
TULLIA CINTIA HENKELIS



DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
**CAUSIS INFREQUENTIAE**  
PHTHISEOS IN SEXU SEQUO-  
RE PRÆ VIRILI.

PROOEMIUM.



Actionem & Observa-  
tionem duo Artis Medicæ esse  
fulcra, quibus firmissimè nritur,  
& quorum neutrō carere potest,  
nemo sanè nisi planè hospes in  
Medicina inficias ibit: an vero  
huic, vel illi, primæ tribuenda  
sint partes de hoc aliquandò dubium movetur; siquidem alii hanc, alii vero illam præferendam esse censem, ubi pro utraque parte defendenda haud præclara argumen-  
ta deficiunt. Si tamen quibus solida Medicina cu-  
ræ cordique est, non sine jure Observationi seu Experien-  
tiæ primas tribuendas esse contendunt, cum hac omni-

A 2

PRO O E M I U M .

um primò ea pro fundamento ponat, quæ vera sunt, & revera sine omni fictione ita fiunt atque existunt, sicut fieri perhibentur: Ratio verò saltē circa <sup>ro</sup> dñi veretur & monstrat cur ita & non aliter fiunt quæ fiunt, quæ tamen consideratio neutiquam locum habere aut existere posset, nisi prius ab ipsa Observatione & Experiēntia res declarandæ præstò & pro fundamento posita essent: unde Observationem historicam factorum in Medicina Dominam & Matrem, Rationem verò Filiam atque Ministram illius agnoscunt, quæ reverenter circa Parentem se gerere debeat, & rationem factò non factum rationi accommodare, ut acutissimi Rammazini, verbis utar: quo cum consentit non minus acutus cordatusque Baglivus, quando asserit, nihil planè certi ac veri in Medicina reperiri, quod non primam originem Observationibus maximam partem deberet, ideoq; secundum Proverbium, *Lapides ad filum, non filum ad Lapides regere*: dicit: Observations Medicorum filum esse, ad quod dirigi debent eorundem ratiocinia. Nos impræfatarum equidem non studebimus item de prærogativa alterutrius ut determinemus aut decidamus, sed satis edocet utramque suas limites habere, neutrām verò ab alterā separandam, sed ambas sibi invicem, quantum possibile indissolubili nexu jungendas esse, specimen potius edere suscipimus, quō veritas aliqua practica ex Observatione desumpta in apricum deducatur atque monstretur, factaque Observationi postmodum Rationes subjungantur pro virium modulō, quibus explicetur, cur, & quas ob causas hanc Veritatem observari contingat. Ansam dedit Specimen inaugurale propediem eden-

edendum, & pro illō Materia dissertationis eligenda;  
quam DE CAUSIS INFREQUENTIÆ PHTHIS-  
EOS IN SEXU SEQUIORE PRÆ VIRI-  
LI esse voluimus: Adist nobis propitium nu-  
men, quò Veritatem ipsam detegamus, nostrumque  
Laborem in sui Gloriam & Veritatis medicæ incre-  
mentum cedere clementissimè concedat.

## §. I.

**P**HYSIS itaque est ille morbus, de quo in præsenti tractatione agere, & cu-  
jus minorem frequentiam in Sexu sequi-  
ore præ virili adstruere constitutum est:  
Utut autem nomen Phthiseos sapius  
apud Medicos, præcipue veteres, in genere tabidam  
quancunque corporis consumtionem designat, ideo-  
que apud illos frequentissimè Phthisis & Tabestanquam  
synonyma occurunt, ita hic loci nobis solum sermo  
erit de illa Tabis specie, quæ nostris temporibus apud  
omnes Præticos uno Ore Phthisis vocatur, & ulcer-  
ationem Pulmonis tanquam primarium fontem proximamque  
causam antecedentem & continentem agnoscit, ideoque frequenter in distinctionem reliquarum spe-  
cierum, PHTHISIS pulmonalis audit.

## §. II.

Nolumus impræsentiarum exactam Phthiseos hi-  
storiam pertexere, camque secundum omnes circum-  
stantias describeret, cum ad nostrum propositum eam  
pertinere non censeamus, sed ex aliis variisque scriptis  
omnibus notissimam supponamus, unde generaliores

A 3

ipius

## 6 DE CAUSIS INFREQUENTIÆ PHTHISEOS

ipius circumstantias, & in omnium sensus cadentia symptomata atque phœnomena relinquendo; hanc unicam quasi circumstantiam, tanquam notatu & consideratione medica dignissimam contemplabimur, quod in quotidiana praxi observatio plusquam quotidiana testetur ac doceat, Phthisis pulmonalem, quamquam in se neque adeò frequentem, ut vulgo putatur atque creditur, neque tamen adeò raram, quin satis frequentè in Praxi medica ocurrat, longè frequentius tamen Sexui Virili familiarem esse, quam Fœminino, adeò ut sanè ad magnum satis numerum Virorum aut Juvenum, Phthisi pulmonali laborantium paucissimæ occurrant Fœminæ & Virgines, quæ licet de cetero iisdem generalioribus morbi causis internis expositæ sint, nihilominus ab illa vel plane non corripiuntur, vel si maximè corripiantur, longe tolerabilius se habent sub ipso morbo quam Viri: id quod tanta certitudinis est, ut ad cuiuscunq[ue] observationem provocare liceat, qui occasionem habuit, phthisicos personis vel consilio pratico succurrenti, vel ad minimum assistendi; nec dubitandum sit, si solers attentio adhibita fuerit, quod inter centum ægros phthisicos vix decima pars, & ne hæc quidem è sexu fœminino ocurrat: excipiendo tamen illos speciales casus, quando Phthisis à causis manifestis violentis externis originem sumvit, quod in casu neque sexus, neque certæ ætatis ratio in considerationem venit, sed cuiuscunq[ue] conditionis homines eidem obnoxii fieri possunt.

### §. III.

Adstruxit hanc veritatem, & ulteriori consideratiōni ac pensitationi commendavit Illus[tris] Stahlus, quan-

dō

do Patholog. Dogmat. Part. III. Membr. II. Art. II. difter-  
te ait: Deinde in ipsa etiam illa periodo, quæ magis,,  
propriæ his periculis subjacet, videtur revera adhuc ani-,,  
madvertenda esse peculiaris illa differentia, qua prom-,,  
tius adhuc, familiarius inquam, ipso vero effectu, Phthi-,,  
sis obtingere appetet maribus, quam foeminiſ. & paulo,,  
post: Quamvis enim foeminiſ per hanc ætatem longe,,  
familiariores passim sint oppletiones, & angustiæ tales,,  
pectoris, cum tuffi etiam meritò suspecta & dubiis in-,,  
ſufficientis nutritionis, & tabidae extenuatiōnis signis:,,  
Est tamen meritò notandum quod puellæ tali modo af-,,  
fectæ, longe frequentioribus exemplis adhuc evadant,,  
veræ Phthileos constantem successum: Aut ad mini-,,  
mum si utique Phthisis coorta eſſe fentiatur, longe mi-,,  
tiore hujus progressu confiantur: Cum ex adverso,,  
Mares, à paribus initis, non ſolum certius, & velut in-,,  
evitabiliter, ipsam veram phthisin incurant: sed etiam,,  
progressus ejus longe ferociores communiter experi-,,  
antur. Id quod etiam teſtatur *Dn. Praes* non ſolum ex  
propria nunc per annos plusquā viginti exercitâ praxi &  
obſervationibus collectis, ſe vix ac ne vix quidèm 30. fe-  
minini ſexus perfonas verâ Phthisi laborantes obſerva-  
te, cum ē contra Iuvenes ac Viros eidem malo obnoxios  
ſatis numerosos videre iisque conſilio ſuccurrere licue-  
rit: ſed & à *B. ſui Parentis* Experientia per 25. annos exer-  
citat idem accepiffe commemorat. Cujus obſervationis  
conditionem fanè dignam eſſe judicavimus, ut in cau-  
ſas ipſius, quantum fieri potest, inquiretur, cur nempe  
foeminae majori in hoc negotio gaudeant privilegio præ-  
Viris, & annon in circumſtantiis diſeritatem Sexus ſpe-  
*Etan-*

## 8 DE CAUSIS IN FREQUENTIÆ PHTHISEOS

Etantibus aliqua evidens ratio hujus phænomeni in observatione practica fundati reperi possit. Quod ut ritè ac legitimè succedat, consultum fore existimamus, si prius causas Phthiseos veras, quotidianas, & domesticas quasi, in genere perlustremus, & hinc inquiramus, quantum illæ in Sexum utrumque, aut alterutrum cadere possint, unumque præ altero magis aut minus afficere: ubi tamen iterum atque iterum præmonemus, Nos im præsentiarum eam Phthisin, quæ à manifestioribus, iisque quasi solis, violentis causis. (ad quas Casus ab altò, Concussiones thoracis quassatorias, Erosiones pulmonum ab inspiratis halitibus corrosivis, aliasque hujus generis occasiones referimus) ortum ducere potest aut follet, plane missam tacere: & de illa saltet sermonem nobis esse, quæ ab internis causis oritur, & secundum Hippocratis, aliorumque attentorum Prædicatorum solerter observationem certe etati & in illa constitutis personis familiaris & maximè solemnis esse suevit.

### §. IV.

Formale phthiseos in solutione continuauitatis substantiæ pulmonum consistere, nemo est, qui dubitat, quin potius non solum in plebeiusque notissimum sit, excretionem illam sanosam & ulcerosam phthisicis foiemnem de lœsione partis testari, præcipue quando sub affectu magis consummato ipsa parenchymatis vestigia simul apparent, ut inde maximè loquendi formula apud vulgum increbuerit, Der Mensch werfe schon die blaue Lunge aus: Die Lunge geht schon stück weise mit weg: sed tanto magis iis confitet, qui Medicinæ practicæ operam navant, & aliquando aut sapient occasione fruuntur, non modò excretionem phthisicorum inspi-

## IN SEXU SEQUIORE PRÆ VIRILI.

spiciendi & examinandi, sed etiam Viscera phthisicorum post mortem lustrandi: ubi sub cadaverum sectiōnibus, ordinarie & semper alterutrum pulmonum lobum vel totaliter, vel quoad partem exesum, ac ulcere consumtum, cavitatem autem ulceris, eadem materia sanguis, qualem viventes excreverant, repletam reperiunt, imo aliquando alterutrum pectoris latus totum totum materia putulenta & sanguis occupatum obseruant. Cujus rei peculiare Exemplum retulit Excell. Dn. Praeses quod ipsi observare licuit ante aliquot annos in Studio loquidam hic degente: quem prima vice visitans, postquam per duodecim fere septimanas decubuerat, faciem hippocraticam in summo gradu referentem deprehendebat. In historiam morbi haetenus perpetui ejusque primordia inquirenti respondsum dabat æger, quod antehac hæmorrhagiis narium largioribus partim obnoxius fuerit, partim clamoribus & cantationibus plus magis violentis incubuerit, partim Diætae in congruae vinoſae spirituoſe diu noctuque indulſerit, atque sub omnibus illis erroribus maxime cibis salitis, & in specie Halece sale condito in magna quantitate abusus sit: præterea autem paucis ante plenarium decubitu septimanis ebrius, e scala deciderit, peccusque graviter sub lapsu ad lapidem prominentem offendit. Respiratio erat maxime anheila & fere orthopnoëica, sub continua sudoris colligativi profusione, Latus thoraci sinistrum magis in altum elevatum & extensum apparebat præ dextro, ita ut hoc quasi depresso esset, tussiebat equidem æger, sed parum sub & cum tussi rejiciebat, nisi materiam

B

muci-

10 DE CAUSIS INFREQUENTIÆ PHTHISEOS

mucidam glutinosam, & Cor pulsabat in dextro latere, quod tamen antea in sinistro pulsaverat. Defuncto tandem ægro, & dissecto cadavere, in latere thoracis sinistro ne minima quidem portio parenchymatis pulmonum erat reperiunda, sed totus pulmo consumptus in Materiam fanoſam ac putridam foetidam abierat, ambitum hujus lateris mole ſua expandentem & attollentem, dum cavitas ſinistri lateris abilla adeo erat repleta, ut cor cum pericardio totum in alterum latus deprimere, & pertulit ſaltem Musculorum intercoſtaliū unico interſtitio materia purulenta fanoſa in altum proſiliret, multas libras penderet, ſuamque acrimoniā manifeſte per corrosionem Pleuræ, ipsarumque coſtarum, monſtraret.

§. V.

Ulcerationi ſuperius dictæ, atque hinc dependenti solutioni continuitat̄ in pulmonibus velificantur variæ cauſe tam proximiores, quam magis remotæ, intrinſecæ tamen & in corpore hærentes. Proxima atque principalis antecedens cauſa duplicit̄ eſſe potest ac ſolet generis. Vel enim ſubeft ſola Congeſtio ſanguinis ejusque reſtagnatoria compressio ad Pectus ejusque partes contentas, præcipue pulmones, pertinax tamen & vehemens, quæ diuturniore ſui mora & detenſione intra veficulas pulmonales, partim fibrarum relaxationem producit, & materiæ ſeroſo-lymphatice decubitum ſimul invitat, partim ipſamet qualemcunq; ſtafin ſubit; unde poſtmodum ſanguinis actu ſubſiſtentis, & extra debitum motum progreſſorium poſiti, ſub accessu moṭus intestini, tantò promptior atque facilior cor-

ru-

corruptio succedit, quæ tamen neque putredinosa neque purè apostematica existit, sed propter indigitatum concursum materiæ seroſo - lymphaticæ in ſalfam & ulcerofam corruptelam abit, quæ deum successivo gradu ulterius ferpit, partes membranaceas & vasculoſas pulmonum depaſcit; & ita verum ulcus format, quod quoniā in parte tam nobili exiſtit, nec non magna probabilitate ſuam virulentiam ſanguini & reliquis humoribus præterfluentibus communicat, reliqui corporis nutritionem impedit, glandularum ſecretoriarum obſtructionem prodiſit, & tabidam conſumptionem poſt ſe trahit.

## §. VI.

Vel, ſicuti antedicta ſanguinis congeſtio ad Pectus ea quidem intentione Naturæ facta erat, ut excretio ſincera ſanguinis, ad depletionem & imminutionem plethoræ lequeretur, ad finem autem propositum non pervenerat, ita ex oppoſito aliquando contingit, quod exitus etiam intentioni repondeat, & acutu excretio ſanguinis ſineri per Hæmoptysin e pectore sequatur: qua facta ex rupto Vasculo ſanguifero, ſive venosum ſive arteriosum id fuerit, portiuncula ſanguinis extravafati intra veſiculas pulmonales deliteſcere potefit, & cohibita excretione hæmoptysica, ejusque paroxysmo ſublatu, ibi ſubſiſtere, ut remanente licet per aliquod tempus tuſſi, tamen non rejiciatur: quæ portio ſanguinis extravafati, ut ut etiam levifimma ſit, propter denegatum motum progressivum, priftinam fluxilitatem amittit, atque coagulatur, coagulata vero ex remanente apud illam humiditate, & concurrente in corpoſe vivo calore facile

B 2

in-

## 12 DE CAUSIS INFREQUENTIÆ PHTHISEOS

intestinum motum subit, & demum idem productum, eodemque ordine fiendi nostræ considerationi & observationi offert, quale in antecedentibus produci ex altera causa monstravimus. Non tamen semper Hæmoptyica illa excretio, ut a tali indigitata Naturæ intentione excretoria proficiscatur, necesse est, quo tales eventum pulmonis exulceratorum nanciscatur, sed idem jus eandemque noxam in pulmones exercet, quando a quacunque alia causa violenta magis producta est, & sufficit læsionem continuitatis factam esse in pulmonibus cum extravasatione sanguinis, quæcunque demum causa antecedens fuerit.

### §. VII.

Nec tamen semper sola manet causa dicta Hæmoptysis semel facta, sed tanto magis foveatur & sustentatur, si vel hæmoptysis iterato & quidem frequentius recurrat, eoque ipso pristinum vulnus recrudecat, & extravasatio sanguinis actu renovetur, vel quando citra hanc sinceram & actualem eruptionem contingentem, ad minimum congestiones novæ restrictoriæ sanguinis & reliquo corpore ad peccatum fiant, & speciatim ad Pulmones pertingunt, quibus ad minimum partes pulmonum membranaceæ fibrosæ distenduntur, expanduntur, & ad receptionem majoris decubitus humorum serorum disponuntur, quo ipso materialis causa corruptioni falsæ ulcerolæ fomitem præbens indies augeatur & cumulatur: Quæ novæ congestiones restrictoriæ sanguinis & humorum a Natura quandoquidem continuantur aut repetuntur, vel ex consuetudine motuum semel susceptorum, quibus facile adsurgit, tanto magis, quo

quo major, crebrior, aut diutius durans tussis vel sponte concurrit, vel sub intentione expectorationis per medicamenta etiam sustentata fuit: vel ex intentione naturæ discussoria & resolutoria qualicunque portionis illius, quæ forsan aut extravasata est, aut stagnans.

## §. VIII.

Ex antecedentibus causis proxima est Hæmorrhagia narium largior superioribus annis prægressa, & quidem tanto magis atque certius, quo magis repente per adstringentia cohibita fuit atque suppressa: sicut enim Narium hæmorrhagia, a primis puerilibus annis ad secundum septenarium vel circiter ordinarie durant, sumque cursum & recursum servant, ita post hunc terminum motus illi congestorii ad excretionem sanguinis sinceram tendentes, paulatim successive ad inferiora declinant, atque thoracem occupare incipiunt, unde tunc temporis oppletiones pectoris, respirandi difficultates, aut ad minimum pectoris angustationes cum respiratione brevi atque anhelitiosa sub motu corporis velociore, ascensione per scalas, aut loca acclivia, lasitudines artuum superiorum, sensationes partim spasticae, tractoriae, rheumaticae, partim astenosae & ardentes maxime molestæ, tam in exteriore thorace, quam intus in pectore, familiares existunt; & ansam querelarum huic etati præbent, quæ tanto magis non modo de congestione sanguinis, ejusque justo majore detentione in pectore loquuntur atque testantur, sed in actualem eruptionem hæmoptycam, aut corruptionem ulceratram degenerare possunt, quanto propinquior hæc attas adhuc existit illis annis prægressæ narium hæmorrhagie

14 DE CAUSIS INFREQUENTIAE PHTHISEOS

giæ, aut si provectionis ætas adit, quo magis etiam tunc a-  
iliarum excretionum hæmorrhagicarum suppressiones  
concurrunt: quo nomine inter causas antecedentes  
proximiores etiam numerari merito debent Mensium,  
& Hæmorrhoidum pertinaciores suppressiones, præci-  
pue repentinæ, unde postmodum restrictiones & regur-  
gitationes sanguinis ad superiora in genere eveniunt, quæ  
tamen propter majorem & propinquiorem nexus va-  
sorum facilius ad Lienem & Ventriculum tendunt, ibi-  
que graviora symptomata causantur, nisi temporibus  
prægressis ipsa consuetudo motuum, restrictiorum ad  
pectus & pulmones, aut tusus diuturnæ & vehementio-  
res, specialiter nunc etiam motus huc invitent, & indivi-  
dualem quasi dispositionem majorem ad hunc morbum  
suppedient.

§. IX.

Magis remotam, quam proxime antecedentes fue-  
runt, causam constituit ipsa Plethora sive sanguinis a-  
bundantia, quippe quæ ex modo recensitis cau-  
sis, in ordine prima omnium illarum congestio-  
num sanguinearum, sub intentione eruptionis &  
evacuationis sincerae contingentium existit. Si e-  
enim hec præsto non esset, sane sanguinis motus circula-  
torius multis nominibus atque respectibus expeditior  
esset, dum proportio inter humorē movendum, & vias  
per quas moveri debet, major & aequalior, facilius etiam  
impetum motus justum atque proportionatum post se  
traheret. Unde in historia Phthiseos maxime videmus  
ac animadvertisimus, longe plures numero illorum phthi-  
siforum occurrere, qui habitus corporis floridi, succu-  
lenti, repleti, sanitatem quasi haçenus repræsentarunt,  
quam

quam illorum, qui habitum corporis pallidiorem possident, & quasi morbi apparent, imo revera serosis & phlegmaticis decubitus laborant ad pectoris & pulmones delabentibus, à quibus tamen, licet propter corruptelam falsam acrem ex hypothesi erosiones tales faciliter contingere possent atque deberent, longe frequenter asthmatica pectoris oppletiones, aut Catarrhi suffocati oriuntur, nec non tusses diurnæ, quæ tamen non nisi rarissimè in talem ulceratoriam pulmonum constitutionem degenerant, & quasi specialem aliquam prædispositionem ab individualibus circumstantiis dependentem requirunt.

### §. X.

Si adhuc ulterius retrospiciamus ad reliquas causas antecedentes materiales, devolvimur ad eas, qua ipsi Plethora fomitem suppeditant, & ex Diæta, ejusq; erroribus commissis originem ducunt: Spectat huc partim Diæta in genere plena, Victus nempe & ciborum ingluvies copiosa, & quidem illius indolis, ut ad preventum laudabilis & copiosi succi nutritii maximè contribuere possint: quo respectu non cibi qualitate peccantes, sed maximè laudabiles & optimi hunc censum subeunt, si modo majore quantitate assumatur, quam necessitas quotidiani nutrimenti requirit, aut proportio motuum laboriosorum concedit: his enim non bene inter se invicem conspirantibus facile sanguinis quantitas in corpore ita augetur, ut motus ordinarii, tam circulatorius, quam tonicus, non sufficiant; pro transpellenda Massa sanguinea, eaque in debita fluxilitate conservanda, sed spissitudini non modo januam pandant, verum

16 DE CAUSIS INFREQUENTIÆ PHTHISEOS

rum etiam ipsis congestionibus, ac perruptionibus hæmorrhagicis, aut his non succedentibus, stasibus & corruptionibus viam sternant. Non autem sola diæta strieto nomine plena dictahuc facit, sed tanto magis turbas producit, si simul lauta, calida, spirituosa fuerit. Vinarum itaque generosorum ingurgitationes copiose, spirituum ardentiū abusus, Aromatum calidiorum nimius usus specialiter hoc pertinent, à quibus partes fulphureæ, oleofæ, volatiles, agiles, & activæ, sanguineæ massæ communicantur, unde postmodum orgasticæ commotiones & expansiones humorum procedunt, majus via rum spatiū postulantes, aut hoc denegato & non sufficiente rupturam vasorum promoventes, vel ad minimum pertinacioribus congestionibus & restagnacionibus ansam majorem præbentes.

§. XI.

Ad occasioales demum causas, quæ quasi ab extra accedunt, & reliquias intrinsecas in actum deducere possunt, si animum dirigamus. Motus corporis exagitatorii huc sanè spectant, quando per cursitationes, saltationes, aliosque motuum modos corpus repente atque excessivè commovetur & calefit, unde non modo sanguis, sed reliqui etiam humores intellinè commoventur, orgasticè expanduntur, & majus spatiū pro sua mole requirunt, simulque partium fibrosarum membranacearum, substantiam pulmonum constituentium dilatationem, extensoriam, ac distensionem relaxatoriam post se trahunt, unde postmodum præsertim si expansio illa diutius durat, aut frequentius repetitur, major majorque dispositio ad receptionem decubitus humorum inducitur, & stagna-

stagnationi aut plenariæ stasi humorum in pulmonibus via sternitur. Nec minus inter causas hujus ordinis recentendæ sunt animi commotiones vehementiores, præcipue iracundæ, quæ eandem humores orgasticè commovendi vim possident, simul autem localem quoque vel progressivum motum ad & per partes citatiorem reddunt, quoniam sub illis commotionibus partim motus partium fibrosarum spastici expugnatorii exacerbantur, iisque localiter humores ab uno loco ad alium fortius compelluntur, partim ipsa bilis variis modis ad ipsam massam sanguineam deducitur, eoque ipso partes sulphureæ in sanguine augentur, quæ orgasticæ & intestinæ ejus commotioni favent. Tantò magis autem atque præsentius noxæ tales prægressas commotiones orgasticas sequuntur, quando repentinae refrigerationes illas excipiunt, & v. g. potuum frigidorum ingurgitationes, aut repentinae aeris mutationes, humorum restringentes & incarcerationes producunt, & stasibus in pectori ansem præbent. Probat non minus nexus illum causalem inter exæstuationes corporis atque humorum, & productionem Phthiseos, ipsæ quoque Thermæ, quæ, si nimis calidæ, & simul nimis diu, externe adplicantur, satis frequenter tabidas ejusmodi vere phthisicas consumtiones præducere possunt, unde circumspecti Medici præfertim tenerioribus personis, aut illis qui sanguinem calidiorem ac tenuem habent, & cholericò temperamento gaudent, ordinarie cautelam injungere solent, ut à nimis calido & diurno thermarum usu abstineant, ne phthisici fiant. Tandem & ultimo loco inter causas phthiseos quoque enumeranda est Dispositio hereditaria, qua mediante liberi à parentibus phthisicis nati, facilius atque promptius, imò aliquando citius adhuc quam ipsi parentes respectu ætatis phthisici fiunt, eademque pathemata antecedentia, præfer-

C

tim

38 DE CAUSIS INFREQUENTIÆ PHTHISEOS

tim hæmorrhagica in prima juventute experuntur, quibus parentes obnoxii fuerunt, id quod tantò promptius procedit atque succedit, quo magis parentes eo tempore tali morbo laborarunt, quo liberos tales procrearunt.

§. XII.

Deductis ita & recentis causis illis ordinariis & quasi domesticis Phthisin producentibus, partim remotis, partim proximioribus, ordo propositi nostri requirit, ut omnes hasce caulas ponderemus, & ex illarum comparatione perpendamus, quænam illarum magis vel minus in utrumque sexum cadant, & differentiam frequentiæ aut infrequentiæ hujus affectus secundum diversitatem sexus, inducere valeant. Cum itaque superioris dixerimus, ad causas materiales proximas Phthisicæ ex ulcerationis pertinere Congestionem sanguinis ad pulmones, & quidem, si sola maneat, diuturnam & pertinacem, inquirendum est, an illa in sexu sequiore tantum inveniat locum, quam in virili: id quod meritò in dubium vocamus. Si enim consideremus, & quod verum est supponamus, quod illæ congettiones sanguinis ad pectus & pulmones ordinarie contingent, vel post Narium hæmorrhagias prægressas, nunc autem suppressas aut ad minimum emanentes, vel quod sequantur excretiones sanguinis sicceras ex inferioribus locis haud rite progredientes, vel molientes, quales in Viris hæmorrhoidales, in foeminis autem menstruæ esse solent, statim à priori & posteriori magnam animadvertisimus diversitatem. Res enim ipsa loquitur, quod, si ad emanationem hæmorrhagiæ narium respiciamus, equidem in utroque sexu molimina illa excretoria & translatoria à capite ad pectus transeant, ibique scenam suam ludant; variisque pathematibus ac symptomatibus utrumque sexum exercerant: sed quod in sequiore sexu longe alia occurrat ratio,

cum

cum iisdem annis, quibus hæc ita contingunt, facta jamjam mutatione pubertatis, ordinariè Natura spontaneam illam excretionem sanguinis sinceri per Menstruum fluxum in actum jam deduxerit, quo ipso non modo abundantia sanguinis singulis vicibus aliquid detrahitur, sed motus indies a superioribus ad inferiora revocantur & invitantur, eorumque pertinacia atque constantia ad superiora maximè infringitur : & licet concedatur, quod motus illi translatorii, imò actuales congestiones ad pectus non penitus emanent, sed aliquando contingant, imò recurrent, nequam tamen ita pertinaciter ibi persistere possunt, quin revertente denuò tempore menstruo, de novo invertantur, ibique remittant, quod tamen apud virilis sexus juvenes non ita contingere potest, cum natura in hac ætate apud illos aliam excretionis viam nesciat quam in prioris locum substituere possit: unde in his, superioribus viis adsueta, illis magis adhuc infisit, eaque molimina ulterius proficitur, & licet pristinum eruptionis locum non inveniat, nec adeo facile invenire possit, tamen motus circa superiores partes longè pertinaciter continuat, iisque majore constantia inhæret, ita ut majoribus ac diuturnioribus pectoris opplerionibus, asthmaticis thoracis oppressionibus, tussibus vehementioribus obnoxii fiant atque maneant, neque adeò raro, si modo causæ occasioneles accedant, in ipsam excretionem hæmoptycam terminentur.

## §. XIII.

Idem etiam fundamentum subest causalitatis, cur foeminae neque Hæmoptysin tam promptè atque frequenter incurvant, sed longe rariora foeminarum hæmoptycarum, quam virorum hoc malo laborantium, occurrant exempla: non enim semper & statim post unam aut alteram congestionem sanguinis ad pulmones factam etiam in Vi-

20 DE CAUSIS INFREQUENTIÆ PHTHISEOS

tis sequitur. Hæmoptysis, nisi violentia aliqua notabilis aut manifesta, vel excessiva planè plethora concurrat, sed requiruntur utique ad illius provocationem diuturnior apparatus, reperiit magis insultus, & magis constantes detiniones sanguinis stagnatoriæ in pulmonibus, ut illa producatur. Unde etiam in sexu fœminino contingit, quod eminantibus licet aut suppressis mensibus per aliquod tempus, satis raro non modo eveniat Hæmoptysis, sed etiam quando suppressam talem excretionem sequitur, non admodum diu duret, sed ordinariè, quotiescumque menstruis temporibus recurrat, decursum suum ita teneat, ut cum ordinario menstrui fluxus termino conspiret, iisque diebus iterum cesset, quibus fluxus menstruus cessare solet: imo si res paulò attentius obseretur, quisque in praxi constitutus videre facilimè poterit, quod omnia molimina excretoria in tali casu ad hanc excretionem tendentia iisdem plane diebus incipient, quibus præparatoria ad fluxum menstruum incipere solent, iisdemque iterum diebus quibus fluxus menstruus successive remittere apud illa individua suevit, remittant atque desinant, ut absoluto plenariè fluxus menstrui consueto singulo termino, nihil planè illorum molimini sentiant ægræ, sed quasi penitus immunes à sensationibus illis molestis vivant, nisi specialissimè ab aliis prægressis morbis debilitatæ fuerint, ideoque sensibiliores præ aliis existant: id quod præcipue Excell. Dn. Praeses toties ejusmodi easus ipsi obvenerunt, constanter se oblerasse testatur. Hoc idem etiam observare licet circa solas illas congestiones, quæ ad actuellem sanguinis perruptionem in pectori non perveniunt, tempore tamen illo menstruo quo menses nunc suppressi fluere alias solebant, semper recurrent, quod eodem planè modò sese gerant, solemnia recursus tempora, æque ac cessationis ac remissio.

missionis, cum fluxu menstruo communia servent, ita ut  
haud raro legitimum mensium tempus, si illud ipsæ ægræ  
propter diurniorem moram nesciant aut oblitæ fuerint,  
ex ipso hoc termino recurrentium pathematum anxiorum  
circa superiora colligendum & computandum sit; quod  
tanto feliciore successu ipsa therapia debito atque legitimo  
tempore, justoque ordine adornari ac administrari pos-  
sit. Hæc si comparentur cum illis quæ in sexu virili oc-  
currunt circumstantiis, præcipue, quatenus excretionem  
hæmorrhoidalem impeditam aut planè suppressam, tan-  
quam causam antecedentem, menstruo fluxui suppresso æ-  
mulam respiciunt, sane apparebit ex quotidiana observa-  
tione, quod Hæmorrhoidalis excretio apud Viros in ge-  
nere longe minus frequens sit, quam menstrua apud fœ-  
minas: quamvis enim hæc excretio inter viros non ita rara  
sit, uti à multis temporibus credita fuit, sed numerosa satis  
existant exempla Virorum hæmorrhoidariorum, tamen  
non minus certum est, 1. quod hæc excretio certis saltim  
æstatibus, certis temperamentis, & sub certis conditionibus  
viventibus personis sit familiaris præ reliquis: 2. quod  
quamquam in permultis subjectis dispositio quidem, &  
molimina ad Hæmorrhoides apparent, nihilominus ta-  
men neque ex his, omnia sine discriminé ipsi fluxui obno-  
xia fiant, quin potius multæ perlonaæ moliminibus hæ-  
morrhoidalibus per totam reliquam vitam exerceantur,  
nunquam vero ipsum fluxum experiantur: 3. quod sup-  
pressæ semel, & quidem repente aut violenter, hæmor-  
rhoides longe majorem difficultatem pariant, antequam  
per artem revocentur, & iterum in ordinem redigi pos-  
sint.

## §. XIV.

Si autem Sexum sequiorem consideremus, & respe-  
ctu fluxus menstrui circumstantias quotidie occurrentes

C 3

per-

22 DE CAUSIS INFREQUENTIÆ PHTHISEOS

perpendamus, in vulgum jusque notum est, 1. totum sēxum secundum ordinem naturae excretioni sanguinis menstruæ subiacere: 2. quod sexus sequior, licet non minus haec excretio certe ætati adstricta sit, longe citius eandem experietur, quippe quæ ipsi statim annis pubertatis absolutis, decimo quarto nempe, vel decimo quinto aut circiter anno solemnis existit: cum e contrario viri hæmorrhoidalem fluxum, (nisi hæreditaria, aut alia quæcunque plane individualis dispositio contrarium inferat) haud facile ante quadragesimum aut quadragesimum quintum ætatis annum experiantur. 3. quod nulla in sexu fœminino iadit distinctio aut exceptio ratione temperamenti, sed cujuscunque temperamenti fœminæ menses experiantur, quamvis non levis differentia ratione gradus atque mensura excretionis, ejusque promptitudinis occurrat: 4. quod ordinarie singulis mensibus apud fœminas excretio illa sincera revertatur, cum e contrario maribus tam certa & frequens excretio hæmorrhoidalis, (exceptis paucioribus subjectis) non obtingat, quin potius tempora semestria, annua, in adluetis servent, imo in aliis non ita huic fluxui adluetis vix aliquot annis recurrent, ne dicam quod illis etiam qui maxime hæmorrhoidibus per plures annos adfuerunt, penitus emanent, si vitæ, aut diætæ, aut medicationis genus forsitan notabiliter mutent: sicuti Dn. Præses aliquot hujus generis exemplorum recordatur, ubi Personæ in palatinatu ad Rhenum viventes, ibique quotannis acidulis Swalbacensisibus, & diæta vinosa fruentes, postquam regionem illam cum nostrarer permutarunt, hæmorrhoidalem fluxum amiserunt, gravissimasque, tam pectoris, oppressiones asthmaticas & tusses diuturnas, quam passiones hypochondriacas expertæ sunt, quibus tamen repetitis in usum

usum medicum dictis acidulis, hæmorrhoides restituta & dictaque pathemata felici successu expugnata fuerunt. 5. quod in sexu fœminino difficultates, ratione revocationis fluxus menstrui aliquando suppressi ordinarie tantæ non sint atque occurrant, quam respectu hæmorrhoidum in viris, præsertim si mensum suppressio illis personis obtingat, quæ jam dudum sepiusque Mensium fluxum expertæ sunt, aut nondum ad tempus plenariae cessationis valde appropinquant, si modo debita methodus secundum sanam rationem in experientia fundatam adhibetur, nec variis vagisque tentaminibus medicis, præpostere exhibitis, totum negotium turbetur. 6. quod tunc tandem vel Hæmoptysis constantius recurrentis, vel subsequentis Phthiseos certiora indicia, certiorque metus ingruant fœminis, si molimina illa translatoria ad pectus, ex suppressis mensibus aut etiam Lochiis, in ea tempora cadant, quibus Mensium totalis cessatio imminet & familiaris esse solet: neque tunc temporis, cestantibus plane mensibus, a reliquis medicationum generibus magnum solamen accipiant, sed certius illa spernant atque eludent, & citiore successu in fatalem illum morbum, Phthisin nempe desinant.

## §. XV.

Nec penitus oblivioni dandum est, 7. quod aliquando licet rarius, in statu gravido, urgente plethora, & suppressis tunc mensibus hæmoptysis occurrat, fœminisque tunc temporis non minimum metum in cutiat, qui tamen per subsequens puerperium, & prorruptionem Lochiorum rite succedentium discutitur atque dispareret, & tanto magis iterum e medio tollitur, quo meliore successu postea subsequentes menes fluunt. Quibus 8. accedit, quod illa quoque Hæmoptysis, quæ suppressorum Mensium visces

24 DE CAUSIS INFREQUENTIÆ PHTHISEOS

ces statim periodis gerere aliquando solet, ordinarie restitutis saltim mensibus iterum cesseret, nec singularem Medicorum operam, excepta restitutione Mensium, requirat, quin sporata quasi emaneat, nec facile durante mensium negotio aliquam noxam in peccatore relinquat: cuius rei specialia exempla pluribus vicibus Excell. Dn. Praeses in sua praxi obseruavit, etiam in foeminitate anterioris structura ac indolis, & fane quoad externum aspectum, pro tabidis aut hecticis ab aliis habitis, quae tamen ne tantum quidem damni exinde in pulmonibus retinuere, ut sine metu acidularum Swalbacensem usum, & quidem repetitum tolerarent: quas tamen alias nec hæmoptyci, nec veri phthifaci, tolerare possunt. Quæ omnia collectim sumta ac penitata eo nos ducunt, ut Negotium mensium pro principaliore, & primaria causa habeamus Infrequentiae Phthiseos in sexu sequiore præ virili, illudque tanquam remedium præservatorium foeminarum ab hæmoptysi, & phthysi, aliisque restagnacionibus sanguinis & humorum diuturnis circapectus & pulmones, consideremus: non obstante quod negotium mensium inordinatum atque turbatum aliquando ipsa causa phthiseos esse possit: cum præcipue ratio a priori suadeat, quod vi gente illo motus a superioribus ad inferiora deriventur, sanguinis ventilatio perpetretur, ejusque copia imminuat, & per consequens regurgitationes & translationes sanguinis & humorum ad pulmones averti & preoccupari possint: experientia autem a posteriori rationem confirmet, & ipso facto monstruet, quod revera res ita se habeat.

§. XVI.

Præter ea que dicta sunt de causis phthiseos proximiioribus & principalioribus, mentio in superioribus quoque

que facta est causarum remotorum partim antecedentium, partim occasionalium: ad quatum classem retulimus, Plethoram, Diætam plenam & lautam, Potus Vinosos spirituososque, Vitam otiosam, Motus corporis exæstuatorios nimios, Animi pathemata præ primis iracunda, & repentina post corporis exæstuationem perpetras refrigerationes: quæ, si ad examen vocentur, an in utroque sexu æqualiter locum inveniant, sane apparebit, neque has indiscretum, & quidem omnes, in sexum sequiorem cadere. Plethoram enim quod attinet, hæc quidem in utroque sexu pari gradu adesse potest, licet autem hoc contingat, tamen in eo differentia intercedit, quod aliqua ejus imminutio ab ipsa natura obtineatur in fœminis, per excretionem menstruam duodecies per annum repetitam, cum in maribus vix unquam illis temporibus, aut ad minimum sine comparatione ad illam evacuationem, hæmorrhagiæ spontaneæ e naribus succedant, & hæmorrhoidales sic satis raro debito ordine contingent. Cum autem neque Plethora in se spectata & sola phthisis producat, sed tunc demum aliquam causam concurrentem constituit, quando ab aliis causis antecedentibus & occasionalibus commota fuit, examinanda quoque sunt illæ cauſæ quæ commotioni plethoræ proximam ansam præbent: quo jure meritoque referuntur Potus vinosi ac spirituosi ardentes in copia assumci: hos itaque quod attinet, non equidem cupio omnibus ac singulis fœminis hac in materia apologiam scribere, cum satis superque notum sit, ex ipsis etiam aliquas ejusmodi potibus interdum nimium quantum indulgere. Verum ex altera parte æquitas sum cuique tribuens postulat, ut ea quæ in honorem sexus sequioris dici debent, oblivionis peplo non invol-

D

van-

26 DE CAUSIS INFREQUENTIÆ PHTHISEOS

vantur, quamobrem utique fas est fateri, quod excessus tales respectu potuum vinosorum ac spirituum ardentiū longe plus increbuerint apud mares, quam foeminas ita ut in comparatione utriusque sexus, sequior facillimo negotio penitus ab illo vitio exculpari & absolvī possit, unde hanc quoque ob causam sexus foemininus prærogativa gaudet præ masculo, quod accidentalium & occasionallium causarum fere primaria illū non ita feriat & tangat, ut potius ex hujus solenni evitazione eum in statum positus sit, quod plethorā simpliciter consideratam, & vitam otiosam, vel ad minimum minus laboriolam & sedentariam melius tolerare possit, nec tanta exinde damna ordinarie experiatur, quanta sexui virili ab iisdem causis imminent.

§. XVII.

Restant adhuc motus tam corporis exæstuatorii, quam animi per iram exacerbati, & repentinæ post exæstuationem corporis perpetuae refrigerationes, inter causas superius recensitas: ratione quarum sexum se quiorem non quidem in totum absolvere possumus, verum tamen non dubitamus leniorem ipsi gradum excessus respectu harum causarum uplurimum tribuendum esse. Quod enim attinet corporis motus exagitatorios, nemo nescit, quod plurimæ foeminæ secundum introductum vivendi modum magis sedentariae, quam mobili vite addictæ, imo adstrictæ sint: & si quis saltationes excipere aut opponere velit, sane hodiernus quoque saltandi mos inter foeminas, si modo non nimis diu, & æstivo tempore ipsi indulgeant, satis placidus esse solet, ut inde non statim tantum periculum expectari debeat: interim neque hunc motum, si excedat gradu ad duratione, tanquam

quam infontem defendimus, sed potius suademos, ut *se*-  
xus *fœmininus* in hoc quoque passu non nimis aliquan-  
do indulget passioni quam ipse possidet, sed potius tem-  
peranter ipso motu fruatur; & ut in primis sibi cœveant  
*fœminæ*, ne excalefactione corpore, frigidum aërem, aut  
frigidos potus, præfertim glaciatos, hauriant, ne data ta-  
li occasione repentinis sanguinis stasibus, coagulationi-  
bus, infarctibus, in pectore & pulmonibus ansam præ-  
beant, & postea ejusmodi incommoda morbos a experien-  
tia, a quibus per ordinem naturæ, si ordinate vixis-  
sent, liberae atque immunes manere potuissent. Si au-  
tem ratione hujus causæ occasionalis mares considere-  
mus, quis est qui nescit, quibus vehementioribus corpo-  
ris motibus corpus valde exæstuantibus, vel femei ipsos  
pro arbitrio exponunt, vel ex necessitate quadam invi-  
tabili exponuntur, quibus quasi ordinarie repentinæ re-  
frigerationes succedunt, quas itidem vel evitare neque-  
unt, vel effugere nolunt: ita ut hac ratione quoque se-  
xus virilis multis nominibus magis expositus sit pericu-  
lis phtisicis, præ lequiore, cui major libertas in omnibus  
fere illis circumstantiis concessa est, quo commoditate  
sua liberius frui possit. Iracundas animi commotiones  
quod attinet, ab illis sexum *fœminium* præ virili exclu-  
di, afferere non possumus, cum hæ non sexum, sed tem-  
peramenta sequantur: & quamquam moderatio illorum  
pathematum ex consuetudine educationis, in favorem  
sexus sequioris allegari posset, tamen non possumus quin  
dubii hæreamus in decisione, annon impetuose iracun-  
dæ, & eidem suppressæ ac intus detentæ, par effectus no-  
xii gradus adscribi, tribuique debeat: unde potius sexus  
utriusque personis suademos, ut hoc in passu studeant,

D 2

quo

28 DE CAUSIS INFREQUENTIÆ PHTHISEOS.

quo indies magis magisque hanc passionem sub rationis & virtutis dominium cogant, ut tanto certius diutiusque prospera sanitate frui valeant.

§. XVIII.

Hæc sunt Benevole Lector, quæ de causis infrequentia phthiseos in texu sequiore præ virili proponere debimus, atque voluimus, tuoque iudicio subjicimus: Nos sicuti de ipsa veritate rei historica convicti sumus, & in deductione causarum allatarum potissimum atque primarium fundamentum hujus differentiæ positum esse confidimus & credimus, ita eandem cum aliis quoque communicare animus fuit, & pro ulteriore obseruatione commendare: sub certa spe, quod aliqua ad minimum utilitas inde in historiam medicam sit redundatura; & si forte aliis circa eandem materiam plura & ratio & experientia suppeditaverit, quod eadem in bonum publicum & historie medicæ perfectionem & emendationem sint communicaturi. Interim supremo Numini pro concessis clementer viribus ad absolvendum laborem necessariis humillimas perfolvimus grates, & ut coëpta nostra secundet, inque emolumentum ægrorum, maxime vero in sui Nominis gloriam cedere, concedat, submissis qua par est votis precamur.








hallesch. Diss., 1720 B II-G

(x 2530034)

VDN8



**Farbkarte #13**



DISSE<sup>1720</sup>  
TATIO INAUGURALIS MEDICA<sup>10a</sup>  
DE

**CAUSIS INFRE-  
QVENTIÆ PHTHI-  
SEOS IN SEXU SEQVIORE  
PRÆ VIRILI.**

QVAM FAVENTE DIVINO NUMINE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

**DOMINO  
GEORGIO DANIEL COSCHWITZ,**

MED. DOCT. EJUSDEMQUE IN ALMA FRIDERICIA-  
NA PROFESS. PUBL. ORDIN. ET POTENTISS. REGIS BORUSS.  
IN COMITATU MANSFELD. ET APUD PALATINOS HALEN-  
SES PHYSICO.

PATRONO AC PROMOTORE SUMMOPERE  
COLENDO

**PRO GRADU DOCTORIS,**

Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis Mo-  
re Majorum solenni obtinendis,

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.

Anno M.D.C.C.XX. D. Sept.

Publico Eruditorum Examini subjicit.

**CHRISTIANUS ERDTMANNUS MATTHÆUS,  
LIGNIC-SILESIUS.**

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

1720.

Vol. 1 - 5  
113-2-6-10